



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Qvæst. V. Quonam tempore, designatis actibus, & meritis Christus
promeritus fuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

autem ostendit cur præmium anticipatum non sint, cum sic donantur.

5 Responder tandem Daza equi usum & vineæ fructum non esse causam adhuc finalem, vineæ & equi ipsius: sicut esse oportet bonum usum auxilij, cum hoc in spe illius produceretur & donaretur tanquam pretij. Bene; ergo nec remota principia v. g. existentia Virginis, gratiaque Progenitorum Christi, vt tales esse mererentur potuisse cadere sub merito Christi, quæ causa finalis eius gratiæ fuerunt eo argumento & exemplis equi, & vineæ conuincitur, vt contendunt aduersarij. Secundo: quod meritum boni vsus auxilij sic causa finalis ipsius non obest, quominus auxilium ex spe & intentione boni vsus tanquam præmium anticipatum donetur per modum pretij & solutionis, vel obste gratiæ Progenitorum Christi, vt illorum spe ipsa Progenitoribus Christi donetur vt anticipata solutio, & præmium eorum. Denique quod fructus vineæ eiusque pretium, quo ipsa soluitur, huius qui emit sit, vt illo soluat pendet à dominio vineæ translatò ab anticipato donatore in spe pretij obtinendi ex fructibus vineæ, ac similiter in equo & armis: in quo paritas ad auxilium, & bonum eius vsus aperta est. Nam proprietates fructuum soluentis pendet, quasi effectiue, à donante dominio, & hæc donatio & dominium pendet tanquam à fine à fructu & pretio, siue bono equi vsu in quorum spe equus, & arma, ac vinea data sunt: sicut bonus vsus auxilij, quasi actiue, ab auxilio pendet: auxilium vero ipsum à bono vsu tanquam à fine intento, cuius spe donatur.

6 Sed vero, & erudiri, & quiescere hunc equum tot curibus ab scholasticis omnibus quadringentos totos annos agitatum æquum tandem erit; vel potius tanquam iam nunc sessoribus omnibus suis infaustum eneruatum ad pratum remitti. Nec minus opportunum vineam in spei scholasticæ ludibrium atque tanti sudoris inutilis materiam plantatam eradicari. Respondeo ergo ex dictis hætenus negotio facili: ad equum ob bonum eius vsum, & vineam ob fructus pretium donari posse pro natura priori atque eodem profus modo ob bonum vsum ipsius donari posse auxilium: nec inter hæc disparitatis umbram quaeri, nedum inueniri vnquam posse, nisi ab his, qui nodum, vt aiunt, in scyrgo querant: vt idcirco tam improbo labore scholastici laborarint, quin difficultatem vicerint. Sed neutrobique, quod anticipato datur pro naturæ priori siue ad bonum vsum equi, vel auxilij, siue ad pretium fructuumque vineæ dari in eius pretij solutionem, boni vsus præmium: quia solutio & præmium absolutum natura, & essentia sua debitum, seu ius ad illa absolutum supponunt, quod pro priori naturæ sui principij absolute esse cognoscique repugnat: quare & pro illa priori præmium & solutionem esse posse: dantur ergo ea omnia in spe boni vsus, & & pretij, ex eorumque intentione: quare ob illa, vt finem non ob debitum, & meritum: quare nec in solutionem & præmium. Hac ipsa doctrina miles ille arma deponat, & suras, etsi Decurio sit, soluatque somno. Ipsi enim cum arma illa donata sunt non ex affectu soluendi boni vsus illorum, illumve præmiandi sunt data: nulla enim in spe futuri sub conditione meriti, est absoluta solutio: quia hæc nostra omnium ad hæc merita in spe exigenda fundamentorum anticipata solutio est.

QVÆSTIO V.

Quoniam tempore designatis actibus, & merito Christus promeritus fuerit.

Dvo in Christo ad rem hanc tempora distinguenda sunt: ante mortem & Resurrectionem, vnum post mortem; & resurrectionem alterum. Ac demum videndum an ex omnibus actibus honestis, quos tempore promerendi exercuit vnum totale meritum, an plura, pro actuum pluralitate numerentur.

CERTAMEN I.

De vita tempore, ad mortem usque exclusiue, conclusiones.

1 **C**onclusio prima est: *in ipso conceptionis instanti promeritus est Christus, est contra Alextrem, Albertum, Bonau. Holcot. Capreo. & Durandum, apud Vasquez d. 75. c. 1. sed tamen est reliquorum antiquorum: Theologorum, quos referunt secunturque Vasquez ibi. c. 2. Soar. d. 39. sec. 3. Lugo d. 27. sect. 4. communem, & fere omnium Theologorum appellans Bernard. d. 55. sec. 6. §. 1. vterque Hurt. Beccan. Ragula recentioreque reliqui ad vnum siue Typis siue Manuscriptis de hac re disputarunt. Probatur ex Paulo ad Hebr. 10. vbi ex Psal. 39. à n. 5. E Christi nomine mundum ingredientis & persona ait, *hostiam, & oblationem noluisi, corpus autem adaptasti mihi; holocausta & pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deum voluntatem tuam.* Superius, inquit Paulus, dicens, *quia hostias, & holocausta & oblationes pro peccato noluisi, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur: tunc dixi ecce venio, vt faciam Deum voluntatem tuam: aufert primum, vt sequens statuat: in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem.* Licet autè voluntas hæc, in qua sanctificati dicimur Deo volentis, & Christi in ipso mundi ingressu obsequentis, intelligi possit ac Patres plures de Deo explicent voluntate; non ita vero, vt alium intellectum de Christi voluntate excludant, ac negent: iamque vulgo à Theologis intelligitur de voluntate Christi acceptantis in conceptionis suæ initio Dei præceptum de vita passibili, ac morte ad hominum reparationem. Secundo in ipso mundi ingressu, seu suæ conceptionis instanti voluntas Christi Dei voluntati obsequentis attribuitur à Paulo illis verbis, *tunc dixi ecce venio: laudabilis, & honesta: ergo meritorea.**

2 Responder Vasquez qui huic testimonio conclusionem cedere non audeat, per ingressum Christi in mundum non curare Paulum aut Patres an instantaneæ sit, necne: quin idem Paulus ibi. cap. 1. num. 6. a i. & cum iterum (alio scripturæ loco) introducit *primum genitum in orbem terra dicit, & adorant eum omnes Angeli Dei.* cum non inde, nec aliunde constet in ipso introductionis in mundum seu conceptionis Christi instanti, propositum illum à Deo angelis omnibus fuisse vt adoraretur: ergo ingressus, siue introductio Christi in mundum in phrasi Pauli instantaneæ non capitur. Verum retenta vtrobique vulgata latina quid dubij est, Angelis omnibus Christum in primo conceptionis suæ instanti propositum à Deo fuisse vt adoraretur. Cum id humanitatis dignitas, vbi primum Deo vnica hypostatice fuit suo prete exiget iure, vt à creaturis omnibus adoraretur. Secundo Græca lectio valè vtrobique loci intelligentiæ quoad præsens institutum discrimi-

nat. Nostro enim loco pro *ingrediens* habet *ingressus*, id est, *ingressurus*, vixdum ingressus, quia tum primum concipiebatur; loco autem opposito pro *introduxit*, *εισενεγκειν*: id est introduxisset. Tertio cum ingredi illud primum instans significare propriè ac rigidè possit; Sicque acceptam conclusionem Theologicam contineat, quam negare fere temerarium iam esset, cur non ita accipiendum sit? Quartò, sic eam usurpat S. Th. & scholastici communiter ut sine numeri primi referebamur.

3. Probatur à ratione. Quia, ubi est perfecta deliberatio ad honestum, actusque exercitium circa illud, est libertas, & meritum: atque in instanti conceptionis adfuit Christo perfecta deliberatio circa honestum, atque exercitium actus circa illud: ergo pro instanti conceptionis fuit Christo libertas & meritum. Maior est certa: minor haud obscurior. Quia in instanti conceptionis adfuit Christo perfecta boni & mali cognitio per scientiâ infusâ, quin ad alterutrum perfectè cognoscendum indagatio, proprio vero labore egeret, quo in alterutrum cognitione cresceret, eiusque notitiam meditationis, ac discursus diuturnitate proueheret: adfuit insuper ex parte voluntatis summa eademque, quæ postea futura erat, ad bonum profequendum promptitudo. Nec enim decursu temporis in scientia, aut virtute profecit, ut dogmaticum est: atqui in primo stat perfecta deliberatio in conceptionis instanti circa honestum, in secundo exercitium actus circa illud: ergo in instanti conceptionis adfuit Christo, & perfecta circa honestum deliberatio, & actus exercitium circa illud. Minor probatur: nam ex perfecta cognitione vtriusque extremi in instanti antecedenti vel subsequente ad instans determinationis voluntatis non est determinatio ex perfecta deliberatione pro instanti determinationis, sed ex cognitione pro eo instanti, in quo est determinatio. Licet enim præcesserit in instanti antecedenti atque in sequenti restituitur, si tamen ab sit in instanti determinationis, perfecta deliberatio non erit. In nobis quidem tempus ad perfectam deliberationem requiritur: tum, quia phantasia non statim perfectè inferuire intellectui potest, qui pro hoc statu dependenter à phantasmate necessarîo operatur: tum, quia etiam cum perfectè inferuire potest, intellectus nonnisi discursu atque industria in perfectam rerum notitiam devenit: tum denique, quia rebellem difficilè que ad bonum voluntatem, non illico à malo, in quod vergit, ad bonum deducere possumus. Quæ omnia in Christi voluntate ac scientia fecis eueniunt.

4. Sit secunda conclusio. *Reliquis vite tempore ad mortem usque exclusivè Christus meruit.* Est Theologorum omnium, cuique proinde quoad instantiæ tempus temerè aduersatur Durand. in 3. d. 28. q. 2. Si autem fundamenta, quæ ab ipso, & aliis afferuntur, ut meritum pro instanti conceptionis negarent, perpendantur, pro tempore instantiæ etiam probant: Quare consequentiùs quam illi in hac parte loquitur Durandus: sed tamen, cum hoc adeò sit absurdum, non leuiter exinde conclusio negatiua pro instanti conceptionis impugnatur. Probatur concl. ex Isai. 8. ubi de Christo *Antequam puer sciat vocare Patrem suum & matrem suam* (scientia experimental) *diuidet spolia Samariae.* id est, de diabolo triumphabit meritis suis, ut aiunt Cyril. Alex. Hier. Haymo. ibi Aug. Serm. 4. Epiph. Imperfectus apud Chrysofom. hom. 2. in Math. Tertul. aduersus Iudæ. c. 9. de resurrectione carnis. c. 2. & 3. contra Marcion. c. 13. & 14. Iustin. dialo. cum Triph. Epiph. anchorat. fol. 6. Ambros. in psal. 118. conuentione 21. de incarnatione domini. Sacram. c. 2. & in Luc. c. 1. fin. fulgent. 1. ad Trasim. c. 8. Probatur secundo ex Aug. serm. 11. de temp. sine. Bernard. serm. 1. de circumciso domini: post in init. S. om. 2. post. med. Ambros. 2. in Luc. c. de Natiuit. saluator. Med. & aliis innumeris Patribus, qui instantibus Christi actionibus remedium, ac redemptionem nostram adscribunt: hæc autem nonnisi

R.P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

actionibus Christi meritoris adscribitur. Tertio probatur ratione à priori quam pro instanti conceptionis efformauimus num. 2. ex perfecta deliberatione, quæ ratione scientiæ infusæ animæ Christi independentè à sensibus, & conuersione ad phantasmata, quæ sic posita vterius voluntas se ad phantasma conuertere, ut ea vtratur, opus est aber: tota enim conuersione ad phantasma intellectus solius est, solusque, ut intelligat: quare in ea scientia, & cognitione, quæ independentè ab illis infunditur, nec intellectus ipse ad phantasma conuertitur. Quare, etsi in infante Christo sensus & phantasia perfecta non sunt potest esse, & scientia de bono & malo perfecta, eiusque in voluntate perfectus vsus: quo Durandi contra vtramque, & aliorum contra conclusionem primam erutum fundamentum est.

5. Tertia conclusio, *quiuis actus Christi adæquatum meritum fuit ab aliis diuersum*, est communis Theologorum. S. Th. q. 34. a. 3. ad 3. Alex. 3. p. q. 117. in 2. a. 2. & 3. Magistri in 3. d. 18. c. 2. Bonau. a. 1. q. 2. sine Corporis. Durandi ad vltimum Palud. a. 2. p. 3. Gabr. q. vn. a. 2. concl. 6. Maior. concl. 1. q. 2. & ad 12. Almain. q. 1. concl. 5. & 6. ac dub. 3. Valquez d. 7. c. 4. Soarj ac reliquorum Ratio: quia quiuis actus Christi physicè totaliter ab alio diuersus est atque moraliter honestus, & laudabilis, independentè ab alio: ergo fuit adæquatum meritum ab alijs diuersum. Dubitatur solùm de hac conclusione Recentiores: quia oblatio sui in mortem vnica continuatio à sua conceptione ad mortem vsque fuit: ac proinde & in ea meritum vnicum, ut Paulus insinuat, sed nonne alios actus misericordiæ, religionis, &c. Christus exercuit? Dices tam illam oblationem sui in mortem, quam opera reliqua Christi à continua in Deum Charitate fuisse imperata. Sed quid inde, licet sine fundamento admittatur? etsi enim actus imperati imperantis bonitatem participant contra Vasq. 1. 2. d. 53. c. 4. aut propriam bonitatem ac meritum non necessarîo amittant in Christo, qui in huius præillius electione liber permanebat. Dices Tertio Christum ex Paulo ad Hab. 10. *una oblatio consummasse sanctificatos: atque vniam pro peccatis obtulisse hostiam.* Atque Christus ipse spiraturus dixit, *Consummatum est*, nempe Redemptionis nostræ negotium vltima vite oblatione, siue eiusdem oblationis continuæ in mortem extrema duratione: ergo ita merita Christi cogitare debemus, ut ex omnibus vnum redemptionis adæquatum meritum coagmentatum sit, cui vltima vite suæ oblatione in mortem imponeretur fastigium. Verùm respondetur consummatam redemptionem mortis oblatione, non quia hæc quasi meritum in adæquationem compleret, sed quia, licet singula eius opera meritum adæquatum essent, ut erant, morte tanquam conditione, non tanquam complete meritum consummabantur, ut Deum non ex merito quidem sed ex promissione tenerent: quia dixerat, *si posueris pro peccato animam suam vidabit semen longæuam.*

6. Scio Recentiores alios, etsi in meritis redemptionis vnum adæquatum meritum oblatione consummatum ob ea loca putent; aut plura alia afferre meritum Christi exempla quæ aiunt, meritis, consummatione & oblatione non eguisse: vox laudatoriæ Patris Christi humilitati in Iordani baptismate, cum Spiritus sancti columbæ specie descensu, donata: atque iterum vox similis in Thabor. ac Ioannis 12. 28. ob illam Christi orationem: *Pater clarifica filium tuum* vox illa, & clarificauit, & iterum clarificabo, pluraque alia miracula, Lazari resurrectio ob feruentem Christi orationem: quæ merita mortis & oblationis meritum non expectasse, ut ea obtinerent, extra dubium reputant. Sed certè, cum hæc omnia ad hominum institutionem fidemque Christi eis ingenerandam præstita fuerint, atque à Christo petita, ea esse merita redemptionis, atque in eorum opinione cum reliquis eius ordinis meritis ad vnum totale redemptionis meritum oblationis

DD d d tionis

tionis sui in mortem à Christo consummatam consum-
xiffe dicendum ipsis est. Aduerterim tamen in Soarj
sententia requirente ad meritum Dei promissionem,
ægre meritum Christi nisi in oblatione sui in mortem,
cui solum redemptionis hominum promissio facta est,
posse defendi. Nec magis facile in Vasquez doctrina;
tum quia meritum Christi applicationem formalem
pro nobis requirit, cum tamen semel tantum oblata
merita à Christo per mortem consummanda ex Paulo
constet: tum precipue, quia ipse Vasquez constanter
vbique duas eiusdem effectus totales causas etiam fina-
les, nedum meritorias, esse posse negat. Quare hic me-
rita singula Christi inadæquate solum redemptionem
nostram causasse de facto, argue ex omnibus meritum
redemptionis adæquatam cõstatu esse, tenetur asserere.

CERTAMEN II.

*A mortis tempore inclusuè nil suis actibus
promeruit Christus.*

I Origen. teste Nicephoro 7. hist. c. 27. errauit as-
serens Dominum Iesum Christum in futuro saeculo
pro Demonibus, quemadmodum pro hominibus in hoc, cruci-
fixum iri, de quo expressis verbis damnatur in Conci-
lio Constantien. can. 7. ex decem contra eius errores.
Refertur hic etiam error inter reliquos Origenis à Hiero-
nymo, & à Theophil. Alex. à quo duabus Epistolis
confutatur t. 1. Biblioth. multis, sed precipue ex
æternitate. Hoc igitur errore amandato. Dico primo:
In mortis instanti nil Christus meruit. Patet; quia in
eo instanti Christus absolutè non fuit; sed quod abso-
lutè non est, nequit operari pro duratione quæ non est:
ergo nec mereri: quia meritum non nisi propriis hone-
stis operibus esse potest.

Dicit Caiet. 1. p. q. 63. art. 6. animam Christi in eo
instanti sustinuisse voluntariè à corpore diuisionem.
Sed quid? nunquid anima Christus est? Secundo pro-
bat ratio contra Caiet. Christum toto triduo mortis
meruisse. Tertio nil adhuc de animâ probat; quia in
mortis etiam instanti, extra viam, quæ conditio neces-
saria ad meritum est, anima Christi erat.

Dices secundo Morti Christi attribui nostram re-
demptionem, cuius non nisi meritorie Christus causa
fuit. Sed dedimus solutionem iam, attribui morti ut ac-
ceptata, ac secundum se, non nisi vt conditioni ad
præmium redemptionis donandup.

Dices tertio, mortem sanctorum Martyrum, dici
pretiosam; ergo in genere mors erit valorosa; ergo po-
tius mors Christi pretiosa erit; Nego primam conse-
quentiam: Dicitur enim pretiosa, tum quia meritorie
à Martyribus acceptata: tum quia vitæ discriminibus
ante acta merita liberat: Tum quia merita claudit &
terminat, atque ad præmium certò destinat.

Dico secundo in triduo mortis nec quousque coelos
conscendit non meruit Christus. Prima ratio: quia
extra viam statum fuit, quam urgebimus pro tertia
conclusionè. Secundo: quia tam merita pro nobis,
quàm respectu sui morte consummata sunt; pro nobis
quidem, nostraque reparatione consummata Christi
merita dicuntur locis Pauli datis ex 10. ad Hebr. *unam
pro peccatis offerens hostiam*, respectu vero sui, Lucæ
14. *nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam
suam. Ad Philip. 2. factus obedientissusque ad mortem, mortem
autem Crucis propter quod & Deus exaltauit illum, &c.*
vt idcirco de meritis suis, siue respectu sui, siue nostri,
iam iam moribundus dixisse videatur *Consummatum
est*. Tertio conclusionem simul, semelque videtur
Christus expressisse Ioann. 9. dum dixit. *Me oportet ope-
rari opera eius qui misit me; donec dies est; venit nox,
(mortis nempe) in qua nemo potest operari.* Scio Pa-
tres plures docere è vulnere lateris Christi mortui Sa-

cramenta fluxisse, sed verò non meritorio fluxu intel-
ligendi sunt, sed representatiuo, quatenus feliciter in
sanguine Eucharistia, in aqua Baptismus representantur
ita Auguft. 2. de symbolo ad Cath. 1. cum cap. 6.
Leo epist. 4. cap. 6. Alger. 1. de sacram. corp. & sangui.
Christi, Chrysoftom. homil. 84. Euthym. & Theophyl.
laët. ad 19. Ioann. Damasc. 4. de fid. cap. 10. Cyrill.
Alexand. 12. in Ioann. cap. 39. Nissen. lib. Testimon.
contra Iudeos cap. penult. Tertul. de Baptism. cap. 16.
Quòd si omnia Sacramenta fluxisse contendas repre-
sentatiuè, explicuit optime Sotus in 4. d. 1. q. 3. vt la-
tus instar fontis se gesserit è cuius vulnere Sacramenta
omnia profluere apparent.

3 Dico tertio: *Christus non meretur in celo.* Est om-
nium conclusio, sed non omnium fundamento desin-
denda. Vasquez recurrit ad defectum applicationis
operum illorum pro nobis. Sed videntem eum applica-
tionis defectum probabit? quin vero similis est
Christum, & Beatos nostri amantissimos merita que
habent, nobis applicare. Secundo: cum ad merito-
rum Christi applicationem gratiarum actio Christi
sufficiat, vt in merito ipsius respectu Patrum anti-
quorum Vasquez ipse docet, Christusque in celo
pro collatis in nos gratis gratias agat, applicatio suf-
ficiens erit. Tertio: applicatio formalis meritum
Christi, vt nobis mereatur, necessaria non est, vt di-
sequenti constabit. Quarto, si sit necessaria, & desi-
ciat, nobis non proderunt ea merita, sed erunt tamen.
Quinto: respectu sui ipsius, cui natura sua, & essen-
tia merita applicata sunt, in doctrina Vasquez, vt re-
pugnet ab operante exapplicari, atque ad alium
transferri, ni aliud meritis defit, nequit applicatio de-
esse; solida ergo probatio communis, licet nec satis
fundata communiter, sic habet. Ad meritum quodvis
requiritur status viatoris; atqui Christus in celo sta-
tum viatoris non habet: ergo nec meritum. Minor
& consequentia sunt notissima. Maior apud Theolo-
gos omnes stata, ac firma, sed cuius ratio vel funda-
mentum desiderabitur. Nec re datur solum, cum per
se nota minimè sit. Nonnulli statum viatoris ad me-
ritum non ex rei natura, sed ex Dei lege requirunt
euulgatâ Testimonio illo ex Ioann. 9. recitato ad
numer. 2. sed ibi solum dicitur à mortis tempore me-
ritum esse non posse; non autem an id è Dei lege, an
ex rei natura proueniat. Secundo, vt bene Vasquez
1. 2. d. 216. incredibile est opera Beatorum ex se na-
turæque sua digna Dei amicissimi lege tot præmiis
priuari, nilque vnquam mereri, contra verò Dei
eiusdem inimicissimi lege damnatorum digna de se
opera demereri nihil.

4 Sed verò solidam rationem, cur ex rei natura
ad meritum statum viæ requiratur assignare hoc opus
hic labor est: & sane quoad essentialia præmium
non adèd est assignatu difficile, cum quiescendum
tandem homini in aliqua felicitate sit; si autem
continuo in celo mererentur, nunquam per æterni-
tatem supremam felicitatem suam assequerentur,
cum in dies illius promerentur augmentum, ac
proinde nec Deus præmium vltimum per æterni-
tatem conferret: Sed de accidentali præmio opo-
ita est ratio absurda, cum ex huius defectu nulla vi-
deatur ferè in Beatis anxietas, nulla sollicitudo. Se-
cundo nec de merito essentialis beatitudinis pro aliis id-
circo statum viæ ad hæc promerenda ex Dei tantum le-
ge requiri autem Vasquez proximo loco numer. 3.
& Berna. d. 55. sect. 4. num. 156. militant verò contra
hanc Doctrinam ipsius Vasquez argumenta à nobis
data num. 1. Responderet obiectionem hanc præueniens
Bernal. num. 148. mereri quidem Christum, & Beatos
in actu primo hæc: non autem mereri in actu secundo
è Dei lege. Sed quid est non mereri hæc in actu secundo
? an non esse in se vltimò meritoria horum ex lege
Dei? an non consequi hæc in præmium ex lege Dei?
licet de se meritoria vltimò sint, & que proinde
actum

actum secundum consecutionis præmij respiciant? At in alterutro est indecentia, quam isti inueniebant numero nostro tertio, quod scilicet, perpetuo amicis ex lege merè arbitraria Dei, siue meritum in operibus, siue consecutio præmij in meritis auferatur.

Ratio ergo facilis ex ipsa meritorum natura dabitur pro meritis omnibus, siue respectu præmij essentialis, siue respectu essentialis, tam sui respectu, quam aliorum, si quæ data supra respectu præmij essentialis proprii ex Vasquez, siue ad reliqua merita, siue respectu sui, siue aliorum explicatiùs non nihil extendatur vt bene extensa explicatâque fuit à nostro Lugo d. 27. sect. 4. num. 55. De ratione enim rationalis naturæ liberæ ad bene vel malè operandum est potentia ad præmium merendum, tum in se tum in aliis, vel demerendum à Deo: ad hoc autem requiritur ex natura rei, vt sit spatium aliquod determinatum, intra quod mereatur rationalis natura; ne æternùm negotiatio & labor perduret, nunquamque per æternitatem præmium adæquate consequatur siue in se, siue in aliis in quibus illud receptorus merens sit. Si autem ex natura rei certus statuendus sit dies iudicij ad merita demeritâque determinata naturæ rationalis, eiusque opera diiudicanda, certum est eius resignationis ius ex natura etiam rei penes Deum præmiaturum, supremumque naturæ rationalis iudicem fore. Eâ igitur rationalis naturæ exigentiâ iure suo vtens Deus attentâque duplicis rationalis naturæ, Angelicæ videlicet, & humanæ constantiâ, vel fragilitate maiori Angelicæ breuius, humanæ longius vitæ totius spatium præfixit. Secundò: ratio quietis, quæ in vita beata ex natura rei requiritur negotiationem, & solitudinem atque anxietatem meriti adhuc pro aliis excludit, vt puræ fruitioni locus detur: ac proinde beatitudo cum merito ex rei natura pugnat. Tertio: quia meriti, ac demeriti idem spatium esse debet: ac proinde vbi alterutri locus non est, nec alteri esse potest.

CERTAMEN III.

Obiectionis de oratione Christi in caelis solutio.

Sed pro merito Christi & Beatorum obicitur. Si quidem pro nobis in caelo, & orant, & impetrant propriè: ergo nobis merentur. Antecedens est certum de beatis: cum Ecclesia singulo quoque Litaniarum verbo respondeat responderetque nos doceat *Ora pro nobis, Ora pro nobis*. De Christo Domino docent Suarez disp. 45. sect. 2. Bernal. d. 59. sect. 2. §. 2. & alij ex 8. ad Rom. qui est ad dexteram Dei qui etiam interpellat pro nobis. Ad Habr. 7. *semper viuens ad interpellandum pro nobis*. 1. Ioann. 2. *Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum*, quæ loca de propria Christi pro nobis oratione, ac deprecatione intelligere videntur Cyprian. epist. 8. feu lib. 4. epist. 4. August. præfat. in Psal. 85. Ambros. in locum ad Roman. 8. & lib. de Isai, & anima. c. 8. post medium, Bern. sermone de Natiuit. Virg. Iustit. Martyr. q. 105. ad Orthodox. Orig. homil. 7. super Leuit. Vasquez verò tam in Christo, quam in beatis tenere consequentiam putat, si de oratione propria admittatur antecedens, quem Discipuli imitantur, ac proinde negant absolute antecedens; certam autem esse consequentiam putat ex August. epist. 105. dicente. *Sed, nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; quibus docet impetrationem sine merito esse non posse.*

Quòd autè Christus in caelo nõ orat propriè, sed ea loca intelligi debeant de oratione impropria, quæ solum sit tacita quadâ suorum meritorum representatio vulnerumque ostensio, quâ pro nobis interpellat, docet Rap. 9. de diuin. officiis c. 3. Naz. orat. 36. num. 53. & 54. Beda in locum Ioann. Chrysofom. homil. 15. in 13. ad Rom.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino

Theophylact. ad loca data Pauli Concil. Francford. col. 16. Greg. M. 22. Moral. c. 3. alias 18. Anselm. in locum ad Rom. 8. ad quem etiam Sedul. Hyeronym. Primali. Innocent. III. serm. de conuers. Pauli, Nicolaus Cabasila ep. Hærgia 44. t. 4. Bibliot. limcon Theffalonic. de mysterijs Ecclesiæ c. 44. apud Turrian. Clemens Rom. 8. constitutione Apostol. Ex Theologis verò Alex. 4. p. q. 26. m. 3. a. 4. §. 1. ad 4. S. Th. 3. p. q. 57. a. 6. Gabriel. Lect. 5. in can. Mis. Cardinal Cusanus 1. de concordant. fidei c. 3. Spencæus de Christo mediatore c. 8. apud quem Amazarus de officio Miss. c. 36. Adelmanus contra Berengarium, Bartholomæus Medina atque alij Thomistæ 3. p. q. citata & q. 21. a. 1. qui omnes vocem omnem Christi ad Patrem vt pro nobis ipsum interpellat, aut impetret, prorsus ab eo excludunt, solâque humanitatis ostensione totum hoc peragi fatentur. Vasquez verò d. 82. c. 2. & Lugo d. 27. sect. 4. num. 63. licet orationem propriam in ea interpellatione Christi pro nobis impetrationem inficiantur, tamen prorsus mutam esse negant.

3 Duobus hæc in eo conuenit mecum quod orationem propriam Christi in caelo esse omnino negent, vt tot Patres & Doctores statuunt, atque vt bene Vasquez, Ecclesia rota, quæ, cum Sanctos reliquos, vt pro nobis orant, præteritur, nusquam tamen Christum, vt pro nobis oret, expostulat: quia nimirum oratio Christum in caelis minime deceat, deceat verò Sanctos; quam rationem frigidè impugnat Bernal. Probat secundò à priori Vasquez hanc orationis Christi in caelis indecentiam, si propriè viurpetur oratio, quia oratio propriè supponit imperfectionem defectus plenitudinis potestatis in eo, qui orat; Christo autem, etiam qua homini, data post mortem & resurrectionem dicitur *omnis potestas in caelo & in terra*. Math. 28. at inquit Bernal. ante mortem, & resurrectionem etiam data dicitur Christo *omnis potestas* Ioann. 13. *sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*. ergo, & dum viueret oratio propria Christum exinde dedeceret; cum tamen constet oppositum. Nam c. 17. n. 59. & 15. ac sæpius in Euangelio oratur. Quare oratio defectum plenitudinis potestatis vel non supponit, vel non eius quæ integrè ac plene Christo Domino adfuit, sed supremæ ac prorsus diuinæ, quæ humanitati Christi nec adfuit, nec adesse debuit, aut potuit; Sed tamen parùm virget ratio hæc. Nam ante mortem non habuit Christus plenitudinem potestatis erga omnia gratiæ dona absolute, sed solum sub conditione mortis: quæ, vt primum consummata merita sunt, absolutam ex Dei promissione potestatem obtinuit circa illa: quare & de illis Deum orare opus non habuit.

4 An verò interpellatio illa solâ nudâque humanitatis ac vulnerum siue cicatricum & meritorum manifestatione peragatur, vt muta ea atque interpretatiua prorsus sit? An adiunctam habeat quandam voluntati Christi, qua homini, significationem ad Deum, vt hæc, vel illa dona gratiæ his, vel illis conferat hominibus de facto, dubitari potest. Primum volunt Doctores reliqui à Vasquez; ipse verò vult secundum. Arbitror primum sufficere, nec improbari secundum posse. Licet enim, vt nobis ex Christi meritis morte consummatæ gratiæ donentur quavis de facto à Deo speciali applicatione formali eorum ad nos Christi humana voluntate, opus non sit, vt de sequenti constabit; at ita ex speciali fauore nonnullis sua merita applicuisse, ac pro eis dum viueret Deum orasse multis Euangelij locis constat. Pro multisque in caelo interpellasse variis constat exemplis: nec est cur ita erga alios factum negemus, iis præsertim, qui post eius resurrectionem, & ascensionem fuerunt. Cum enim ex promissione Dei per mortem, omnem dispensandarum gratiarum potestatem inique habuerit, eius voluntatis insinuationem expectari, vt de facto donentur, congruum videtur; sed quidquid de hoc sit illud

illud certum fixumque maneat, Christi in caelis interpellationem orationem proprie non esse: Quare negandum esse obiectionis antecedens.


Ceterum cum certum sit beatorum in caelo orare, & nobis impetrare, ut constat ex num. 4. quid dicendum de consequentia erit? Etenim eos non mereri in caelo æque certum est ex dictis cert. 2. num. 5. quare miror Vazquez nostrum tam certam ex oratione, & impetratione ad merita consequentiam reputasse. Etenim, vel oratio, & impetratio sanctorum pro nobis in caelo neganda est contra data fundamenta, Ecclesiam, & historias Ecclesiasticas, in quibus, & B. Virgo oratione atque vberum ostensione, à filio, plurisque sanctos deprecationibus plura dona gratiæ devotis sui hominibus impetrasse narrantur, vel meritum illis in caelo erit concedendum saltem respectu præmij ab aliis recipiendi; satius ergo erit negare consequentiam, quam in alterutrum absurdum incidere. Nec consequentiæ certitudo fundamentum in Augustino habet: licet enim asserat si fides impetret remissionem peccatorum, hanc sine merito non fieri, bene infert ratione materiæ ex fidei impetratione, meritum: quia bona opera, ex quibus fides est, non impetrant nisi meritorie; malè autem inferret ex impetratione præcisè. Nam oratio secluso omni merito ex sola præcantis dignitate impetrat petita: ut de Christo suoque gradu de sanctis beatisque dicatur, *exaltari à Deo pro sua reuerentia.*



DISPUTATIO II.

De his, qua sibi, & aliis Christus de facto est promeritus.

QUATUOR haftenus actibus tempore, valore, & modo meritorum Christi Domini, quidam eis meritis, siue sibi, siue aliis, Angelis scilicet, & hominibus in statu, vel innocentia, vel lapsus fuerit promeritus, examinandum est: qua in eadem regula est in questione de facto, atque de possibili: quidquid enim gratiæ, cum humanitati, tum aliis rationalibus creaturis præsum à Deo fuit, nisi repugnet sub merita Christi venire, Christi meritis obuicisse, cum ob eorum infinitatem, tum ob Christi Domini gloriam, fatendum est.



QVÆSTIO I.

Quidnam sibi Christus promeruerit?

QUAM plura sint in Christi humanitate bona præstita à Deo, v.g. corporis, gloria, nominis exaltatio, materiæ & formæ reunitio, in resurrectione, actus meritorij ipsi, provt à Deo sunt, vnio hypostatica, gloria animæ, scientia infusa, gratia habitualis, ceteraque dona à nobis supra assignata, non oraria dignitates Domini, imperij, Sacerdotij, &c. De his omnibus statuenandum in hac questione erit.

CERTAMEN I.

Affirmativa questionis decisio De facilibus.

DICO primo corporis sui gloriam Christus meruit, ita omnes Theologi; cum Magistro in 2. d. 18. & S. Th. 3. p. q. 19. a. 3. Vazquez d. 78. c. 1. Sotus d. 4. sect. 3. Lugo d. 27. sect. 2. Vuadingo d. 10. dubio 6. Bernal. d. 55. sect. 3. §. 2. uterque Hurtado ac reliqui Thomista, Scotista, Vazquiani, & Soarista. Probat primò: quia est contra Caluinum 2. inst. c. 17. 4. vlt. Secundo: quia nulla in eo repugnantia absurditatis apparet adhuc cogitatur. Tertiò: quia est in Scriptura satis expressum Lucæ 24. *nomine oportuit patri Christi, & ita intrare in gloriam suam* & ubi illud ita causam gloriæ in passione ponit: quæ, vt minimum, gloria corporis intelligi debet. Ad Philipp. 2. *factus obediens usque ad mortem, morti autem Crucis propter quod & Deus exaltauit illum* (vt ait August. ad id Psalmi 109. *De torrente in uia libet propterea exaltabit caput*) à mortuis in resurrectionis gloriam Ad Hebr. 2. *lesum propter passionem suam, gloria & honore coronatum.* Hinc plurimum est: & gloriæ corporis affectas dotes sibi fuisse promeritum: agilitatem, claritatem, atque impassibilitatem, siue earum expedita. Denique corporis sui in cælum cum ingenti pompa & maiestate ascensum, & ingressum: ideo Angeli Esai 63. rogabant *quis est iste, qui uenit, de Edom, tinctus uestibus, &c.* & Psal. 23. *attollite portas Principes uestras & introibit Rex gloria:* aiebant Triumphi illius stipatores Angeli quibus alij quasi rogantes accinebant, *quis est iste Rex gloria?* & audiebant verò ab stipatoribus, *Domini uirtutum ipse est Rex gloria.*

2 Dico secundò, meruit sui nominis exaltationem. Est omnium Patrum, & Theologorum conclusio. Probat primò: quia est contra Caluinum supra. Secundo: quia nil continet, vel repugnantia vel absurdum. Tertiò: quia adhuc est expressior in Scriptura uerbis datis ad Hebr. 2. atque post recitata ex 1. Philipp. immediate dicitur: *& dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur:* scilicet propter humanitatis humilitatem usque ad mortem Crucis ex obedientia, tanquam meritoriam causam, ut omnes Patres interpretantur, Ambros. ibi Chrysol. hom. 7. in eam Epist. Basil. 4. contra Eunom. ad eum locum Aug. tract. 104. in Ioann. & in Psal. 109. & 2. contra Matrim. c. 5. lib. 3. c. 2. Cyril. 3. Thesau. c. 1. & 11. in Ioann. c. 17. Adde Apocal. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est accipere uirtutem, & Diuinitatem, sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem;* illud autem, *qui,* tantundem valet ibi ac *quoniam:* sicut paulo ante eius loco positum fuit, *quoniam occisus est:* est autem gloria, honor, & benedictio idem atque confessio illius cum laude, & adoratione ab Angelis, & hominibus: quæ est planè nominis exaltatio iuxta dicta ex 2. ad Philip. *omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & infernorum, & omnis linguae confiteatur.* Hanc conclusionem de fide censeo; et siquæ opposita temeraria prorfus sit, errorique proxima.

3 Dico tertio: meruit sibi Christus iudiciariam in homines potestatem cum priuati, tum publicæ cum maiestatem exercendam ira S. Th. 3. p. q. 59. a. 3. Vazquez citatus, c. 2. num. 10. cum aliis. Probat ex Ioan. 5. *dedit eum iudicium facere, quia filius hominis est.* Ex quo id etiam probant Vigilius Pa. 5. contra Euth. Cyril. 2. in Ioann. c. 144. Aug. serm. vlt. de Verbis Domini, licet non adeo clarè postremi, Chrysol. hom. 8. in Ioann. ut omne etiam apparens præsidium erroris Pauli Samosatani de puro homine Christo auferret, aliter eum locum exponere. Probat secundò: quia nil in eo est repugnantia, vel absurdum. Probat tertio: bene